

bonorum administratione ad futuri temporis commodum obser-
vanda est. Utitur

αα. præcepto

ΝΝ. figurato sive metaphorico & hyperbolico. *Projice panem tuum in aquas. Nam in multitudine dierum invenies illum. v. 1.* Hoc præceptum simile est ejus Christi, *Præcide dextram, effode oculum.* Aqua semen non reddit. Ita oculo malo propriam voluptatem ex usu bonorum spectanti perire videtur, quod egenis impenditur. Occurrit huic cogitationi; quasi dicat, Nihil te moveat, quòd egeni tibi vicem beneficii reddere non possunt; sed quasi in aquam panem proicias, ita in illos eroga. Non enim perit, sed cum centuplo fœnore in horreis Dei in cœlo tibi asservatum, & in æternum fruendum, reperies: vel, si sic usus ferat, in vita hac multis & quotidianis beneficiis, imò tunc maximè, cum minimè putabis, eum recipies. Sic Christus: *ἰαυεὶ ζετέ μὴ δὲν ἀπελπιζόντες.* Luc. 6: 35. quasi diceret, erogate, nihil cogitantes de fructu. Eodem pertinet præceptum Matth. 6: 3. *ne resciscat lava opus dextra,* hoc est, ne pravus affectus ad honorem & fructum terrenum interveniat. Item Deut. 15: 10. *Ne cordi tuo malè sit (vel, ne malum sit cor tuum) cum das fratri tuo, &c.* Fructus verò certus eleemosynæ inculcatur sæpiùs. ut Matth. 10: 42. 25: 34. Luc. 16: 9.

בב. proprio. *Da partem septem atq; etiam v. 2.*

oſto hominibus, hoc est, & multis & multum de bonis tuis imperti, adeò ut, si opus sit, tibi vel octavam, vel nonam modò reserves. quòque id facere possis cum lætitia, parvis te assuefac, ut multis & supervacuis carere possis. Id verò facere non possunt, qui lautè vivere assueverunt; ut omninò, quòd impertiantur, non habent, qui ocium agunt.

ββ. ratione à causa impulsiva, nimirum malis privatis aut epidemiis homini improvisis, Dei providentia gubernatis; ex quibus pii & misericordes liberantur. *Quia nescis, quid futurum sit mali in terra. v. 2.* Ratio pugnat ex æquo cum prudentia carnis & ignavia. Cum illa; quia ostendit, non in eo malis venientibus remedium esse, si opes arca recondantur (quia opes facilè mala aliqua sorte pessundari possunt. cap. 5: 13.) sed magis, si distribuantur. Cum hac: quia si distributio tam utilis est; certè malè agit, qui nihil parat, quòd distribuatur, ut in tempore malo eleemo-